



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II *EPISTULA DATA*

MARCELLO S.R.E.

CARDINALI GONZÁLES MARTÍN

**ELECTO MISMO EXTRAORDINARIO AD QUINGENTESIMAE ANNIVERSARIAE MEMORIAE
FOEDERIS TORDESILLAS CELEBRATIONES**

Venerabili Fratri Nostro

Marcello S.R.E. Cardinali González Martín,

Archiepiscopo Toletano Quandoquidem Alexander PP. VI bullam cui titulus “Inter Cetera” die IV mensis Maii anno mcdxciii subscrisisset, missionali navitati inter novi mundi gentes singulare dedit incitamentum atque terrarum confinia a Christophoro Colombo compertarum proposuit. Regnum Castellae et Regnum Lusitaniae Praedecessoris Nostri mentem ad pacem introducendam acceperunt atque die vii mensis iunii insequenti anno foedus in Hispanica urbe Tordesillas vulgo appellata confirmaverunt. Proxime igitur quingentesimus celebrabitur annus expletus ab hoc peculiaris momenti pro toto mundo totaque Ecclesia eventu. Nos, Quibus totius Dominici gregis cura est concredata, hunc anniversarium diem participare quodammodo volumus, novam passim suscipientes penitusque perficientes hominum omnium terrarum evangelizationem. Tu, Venerabilis Frater Noster, qui Toletanam communitatem ecclesiam per semitas Evangelii deducis, poposcisti, una cum Venerabili Fratre Iosepho Delicato Baeza, Archiepiscopo Vallisoletano, ut ad personam Nostram gerendam sacer Praesul constitueretur, qui Nomine Nostro ritibus praeesset celebritatibusque tanto eventui convenientibus. Ne vero ullum desideretur a Nobis signum huius favoris Nostri et gaudii communis, tu ipse, Venerabilis Frater Noster, hisce Litteris palam ad id destinatus grave munus adstabitis tamquam Missus Extraordinarius Noster ad anniversariam honestandam recordationem foederis in urbe Tordesillas quingentis abhinc annis facti. Die illo VII proximi mensis iunii Nostra voce adistentes et participes omnes compellabis, Nostram ad sententiam eos cohortaberis ut necessarium evangelizationis opus duplicatis viribus persequantur; Nostra paterna gratulatione catholicum populum recreabis atque Benedictionem Apostolicam Praesulibus universoque clero ac populo tam faustum diem celebrantibus imperties. Fidenti animo legationem hanc tibi committentes, benevolentiam Nostram erga te omnem testati de muneribus tuis iam efficienter peractis, Te salvere ex animo iubemus. *Ex Aedibus Vaticanis, die XV mensis Maii, anno MCMXCVI,*
Pontificatus Nostri sexto decimo. IOANNES PAULUS PP. II © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana